

habeo. At planta quam nos pro Chamæmelo inodoro habemus, longè alia est.

*Helianthemum coridisfolio* à te missum est absolute *Cistus Fumana*, cum folio margine ciliato. Spinosa sunt, quod in nullâ aliâ.

*Cistus myrti minoris folio* C. B., est mihi *Cistus marifolius* omninò; caulis suprâ radicem lignosus et fruticosus est, ut in reliquis plerisque.

Hæc dùm scripseram antè mensem, vocatus fui in Aulam Regiam, ut litteras mittere non possem.

Accesserunt ad Reginam nostram posthuma D. Hasselquist, quæ collegerat in Ægypto et Palæstinâ, quæque Illa redemerat 1,800 thaleris. In hæc collectione *pisces* omnes Nili, *serpentes* Ægypti et *animalia alia* non pauca, in spiritu vini asservata; nec non *insecta* Ægypti et Palæstinæ facile omnia; *plantæ* omnes Ægypti et Palæstinæ exsiccatae: inter has, *Hyssopus Salomonis* quod etiam nunc Hierosolymis tegit rudera et muros; Bryi species est: *Calaf*, *Cucullaria Buxbaumii*, *Chondrilla* 2<sup>da</sup> Dioscoridis, *Ximenia* 2<sup>da</sup> et multæ aliæ rarissimæ plantæ. Completa collectio *fossilium* Terræ-Sanctæ et Ægypti; *Natrum* veterum, *Bitumen judaicum*, *Terra fertilissima* quam deponit Nilus, *Petra ordinaria* ex omnibus montibus Palæstinæ, et sexcenta alia.